



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *CHRISTIFIDELES QUI* TEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM SANCTAE ANNAE IN LOCO VULGO

VARENNES APPELLATO, IN DIOECESI SANCTI IOANNIS-LONGOLIENSI,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles qui provinciam

Quebecensem incolunt peculiari profecto modo, ut probe novimus, a tribus iam saeculis sanctam Annam clara veneratione prosequantur. Venerabilis Frater Bernardus Hubert, Episcopus Sancti Ioannis–Longoliensis, hanc pietatem alere ac fovere cupiens, cleri populi que vota et preces interpretatus, petiit ut ecclesia paroecialis Sanctae Annae dicata in loco vulgo Varennes sita ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur. Cui petitioni libenti animo obsecundantes, Nos, de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu atque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi, statuimus ut sacra aedes quam diximus ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. *Mandamus praeterea ut ea servantur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.* Confidimus sane fore ut fideles Quebecensis provinciae ad sanctam Annam colendam magis magisque incitentur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
